mo; *erunt duo producta aqualia, & producti sinus* Logarithmus, *erit numerus factus ex ambobus* Logarithmis *innicem multiplicatis.*

2. *Vt sinus maior ad minorem; Ita velocitas incrementi, aut decrementi* Logarithmorum *apud minorem, ad velocitatem incrementi aut decrementi* Logarithmorum *apud maiorem.*

3. *Duo sinus in ratione duplicata, triplicata, quadruplicata, &c. habent suos* Logarithmos *in ratione dupla, tripla, quadrupla, &c.*

4. *Et duo sinus in ratione vt ordo ad ordinem, (id est vt triplicatum ad quintuplicatum, vel cubus ad superfolidum) habent suos* Logarithmos, *in ratione vt eorundem ordinum indices, id est, vt 3 ad 5.*

5. *Si primus sinus in secundum ductus producit tertium,* Logarithmus *primi additus secundi* Logarithmo *producit tertii* Logarithmum. *Sic in diuisione, diuisoris* Logarithmus *ex diuidendi* Logarithmo *subductus, relinquit quotientis* Logarithmum.

6. *Et si quot æquales primo, inuicem ducti producunt secundum, totidem æquales primi* Logarithmo, *simul additi producunt* Logarithmum *secundi.*

7. *Medium quoduis Geometricum inter duos sinus, habet suum* Logarithmum *medium tale Arithmeticum inter sinuum* Logarithmos.

8. *Sinus primus diuidit tertium, quoties sunt vnitates in* A; *numerus secundus diuidit eundem tertium, quoties sunt vnitates in* B: *Item idem primus diuidit quartum, quoties sunt vnitates in* C; *& idem secundus diuidit eundem quartum, quoties sunt vnitates in* D. *Dico, qua est ratio* A *ad* B, *eadem est* C *ad* D, *&* Logarithmi *secundi ad* Logarithmum *primi.*

9. *Hinc fit quod numeri oblati* Logarithmus, *est numerus locorum seu figurarum, quas comprehendit factum ex oblato toties in se ducto quoties sunt vnitates in* 10,000,000,000.

10. *Item si index ordinis sit* Logarithmus *denarii, numerus figurarum (vna dempta) ordinis scilicet multipli. erit* Logarithmus *radicis.*

Quæritur, quis numerus sit LOGARITHMVS binarii.

Respon-

Respondeo, numerus locorum numeri facti ex 10,000,000,000 binariis inuicem ductis.

At dices, hic numerus factus ex 10,000,000,000 binariis inuicem ductis est innumerabilis. Respondeo, numerus tamen locorum eius (quem quæro) est numerabilis. Ex data itaque radice (binario) & indice (10,000,000,000) quære numerum locorum multipli, & non numerum ipsius multipli; & per regulam nostram inuenies 301029995 &c. pro numero locorum quæsito, & LOGARITHMO binarii.

FINIS.